

+ R. P. Iosephus O'Reilly.

† R. P. Iosephus O'Reilly.

(*Prov. Baltimor.*).

Si quis huius fratris nostri vitam brevi complecti velit, vix melius aliquid invenerit quam illud S. Pauli: *Gratia Dei id sum, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit.*

Hac Dei gratia amorem illum fidei catholicae, qua vita eius tota operaque sacerdotalis insignis erat, iam in domo parentum e gente Hibernica oriundorum hausit. Natus est Bostoniae die 15 septembris a. 1876. Septemdecim annos natus iuvenatum nostrum North Eastiensem ingressus est a. 1893, et die 2 augusti a. 1898 veste Congregationis accepta Annapoli noviciatum incepit. In noviciatu vitae illius vere internae, at numquam importunae molestaeve initia fecit, quae deinde propria eius nota erat. Ibi etiam ille tantus Congregationis amor animo eius insitus est, quam tamquam matrem semper dilexit. Die 2 augusti a. 1899 s. votis in Congregatione factis in Dei servitium se obligavit.



In studentatu prae ceteris in deliciis habuit diebus recreationis annales Congregationis, praesertim Americanos, pervolvere, ut vitam, virtutes animumque antesignanorum nostrorum penitus cognosceret et quasi imbiberet. Nec maiorem postea honorem novisse visus est, quam ut Patres nostros antiquos, Bernardum, Wissel, Helmpraecht, Gross, Neumann, imitaretur. Eorum vitas resque gestas optime noverat, eorum exemplo Congregationem diligere, propagare ac, si necesse erat, defendere satagit, utque etiam alii eodem spiritu imbuerentur, operam dedit.

Die 16 iunii a. 1904 a Card. Gibbons Baltimorensi sacerdos ordinatus est. Paucos quidem menses ante pulmonum morbo correptus sanguinem vomere coepit, ita ut mors ei imminere videretur. Tum vero animus princeps cum morbo corpus destruenti tam virili fortitudine luctari coepit, ut non tantum ad sacros ordines ascendere, sed etiam unum et viginti annos in Domini vinea laborare posset. Haud semel deinde s. morientium sacramentis munitus est. Bis, cum in missionem proficisceretur, sui fere non compos e curru ferrato in valetudinarium delatus est, ast, cum medici eum curandi causa invisuri essent, ipse iam in ecclesia e suggestu dixit. Si his annis praeter hoc animi patientis hilarique in perferendis morbi cruciatibus exemplum nihil aliud egisset, vita eius instinctus cuiusdam divini instar omnibus esset, qui eum noverant. Quod vero in hac perpetua contra morbum lucta innumeras in missionibus, exercitiis spiritualibus aliisque laboribus apostolicis operas perficere potuit, quae firmissimi cuiusque vires labefacturae erant, id sane maxime mirandum est.

Postquam unum annum ad B. M. V. de perpetuo succursu Brooklynii moratus Saratogae alterum noviciatum peregit, anno 1907 in Canadam missus est, ubi usque ad annum 1913 domui Torontinae S. Patritii, deinde ad a. 1915 Londinensi collegio ac denique iterum Torontino ascriptus pacis, salutis gratiaeque evangelium non minus ad extremas quoque oceani pacifici oras tulit quam ad mapalia lignariorum, qui procul ab hominum

coetu ope spirituali omnino destituti ac per immensas vetustissimasque silvas dispersi indomitam efferatamque vitam agunt. Qui de rebus ab eo gestis legit, vitam primorum nostrorum in America missionariorum se legere credit. Nec morbo, nec difficultatibus retineri passus est, quin animo invicto ac metu vacuo animarum salutem quaereret. Unius etiam hominis salutem tanti fecit, ut quondam die festo Natalis Domini laboribus in vigilia ac mane peractis fessus post meridiem omne tempus in valetudinario Torontino aegroto cuidam morti proximo adesset eumque de fide, cuius aegrotus iacturam fecerat, disputando ac precando ante mortem ad Deum reduceret.

Magnas ingenii dotes facundiamque non communem P. O'Reilly in id unum impendit, ut religionis incremento animarumque saluti serviret. Qua in re leporum saliumque urbanitas multum ei profuit, ob quam omnium coetuum homines familiari eius consuetudine delectabantur. Et ipse omnium debitorem se esse existimans doctorum indoctorumque, sacerdotum ac regularium, praesertim vero pauperum et miserorum indigentis animo benevolentissimo succurrere studuit. Errantes destitutosque per omnes vitae vias conquirebat. Cum vitae spiritualis peritissimus esset, in exercitiis tam sacerdotum quam sororum religiosarum ac hominum laicorum moderandis semper acceptus fuit fructusque optimos collegit. Confessiones excipere in deliciis habuit, et omnium ordinum homines frequentissimi in s. confessione iudicia consiliaque eius quaerebant, quae, quamvis gravibus laboribus officiisque detentus, numquam praestare recusavit.

Anno 1918 e Canada redux Ephratae, anno 1921 Pittsburgi Rector creatus est. Ephratae in missionum praesertim opus incubuit, Pittsburgi ecclesiae domusque ac scholae aedificandae curam in se suscepit, sed rem catholicam publice curare non omisit. Imprimis in provehendis scholis catholicis superioribus dioecesis antistitem tam enixe adiuvit, ut, cum Pittsburgo discessisset, Illiūsus Episcopus Boylen sibi dexteram quasi manum adeptam esse diceret.

Continuis maximisque laboribus tandem vires eius confectae sunt, quare rectoratu Pittsburgensi finito in domum Ephratensem concedens eodem, quo tandiu in labores incubuerat, animi robore ad mortem praeparandam se convertit. Patientia ac hilaritate non tantum nemini molestiam paravit, sed inter acerrimos dolores sodales consiliis iuivit et alacribus de sua imbecillitate iocis oblectavit. Precibus quidem assiduis et ipse a Deo sanitatem petivit aliosque rogavit, ut se orantem adiuverent, ac praesertim, quidquid ad Congregationem SS. Redemptoris pertinebat, praeferens Ven. nostri Ioannis Nep. Neumann precibus se commendavit, ad cuius etiam sepulchrum, quamquam aeger, e valetudinario in ecclesiam nostram S. Petri Philadelphiae adire voluit. At Dei voluntati semper acquiescere visus est, quiquid de se fieri vellet.

Post diutinum denique morbum hydropi correptus est. Ad eius lectum in valetudinario S. Mariae Philadelphensi frater eius, qui item Redemptorista est, aliique sodales aderant. Quaerenti cuidam, num sciret mortem sibi instare respondit se id non ignorare. Hortanti vero, ne animum desponderet, cum bono certamine certato dolores mercedem tantum caelestem auferent, « Gratias », inquit, « maximas! Id facere conabor ». Ita veste Congregationis indutus crucemque missionariam manibus tenens s. votis renovatis commendationis animae suae responsoria ipse recitare perrexit, donec sensibus alienatus mortem placidam obiit die 23 ianuarii a. 1925.

P. Iosephus O'Reilly omnium in Congregatione aestimationem, amorem, fiduciam sibi comparaverat, nam amor amorem parit. Honores numquam quaesivit. Sodali cuidam in sermone familiari dixit se existimare una tantum ratione superioris munus desiderari posse, scilicet quod potestatem faceret multum benignitatis in fratres conferendi eisque praestandi, quae ipsi perficere non possent. In rectoratu apparuit, quam alto ex animo haec vox eius hausta esset. Copiosam illam redemptionem, quae Congregationis nostrae insignibus celebratur, ad Congregatos primum ipsos referri debere dicebat.

Oratoris sacri famam egregiam adeptus, quidquid boni efficere potuit, fidei fiduciaequae Dei tribuendum censuit Balaami asellam se esse dictitans, cui Deus vocem suam concessisset. Statura procera, S. Pauli Alphonsique fervore aestuans, cum in vitia invehi non dubitavit, peccatores etiam obstinati contremuerunt. At homines peccatores pro fratribus errantibus habens, qui in suggestu leo esse videbatur, in confessionali mitissimus omnes benigne ad Dei gratiam reducere conatus est. Et cum de Dei misericordia locutus est, disertissimus esse videbatur.

Quae vero eius humilitas fuerit verbis vicarii generalis Harrisburgensis edicere libet: « Patris O'Reilly eloquentiam vere admirandam esse censeo, sed magis etiam admiror eius humilitatem, quae tantae dotis comes est, gratumque eius erga omnis boni doni auctorem animum, quo tam impigre dote illa utitur ».

Itaque *hic vir despiciens mundum et terrena triumphans divitias caelo condidit ore manu.* R. i. p.!